Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1027
Quelle:
Copyright:

Das quoque materiam, quo prodeat hoc opus olim
In lucem, et vitam te duce ſuſcipiat.

typis vero admovit *Jac. Wimpfelingius* in percelebri Officina Phorcenſi *Thomae Anshelmi* anno M. D. III. f. Hinc recuſum eſt eodem cultu *Auguſtae Vindel.* in *Typographeo Praetoriano* anno M. DC. V. atque inde in *Editionem Opp. Hrabani* noſtri *Coloniensem* tranſiit, ubi T. I. anno M. DC. XXVI. excuſo *pag.* 273. viſitur. Cum vero in hac editione multa deſint, quae tardius lucem videre, vel plane etiamnum in ſcriniis delitescunt, *Hrabani* Opuſcula, optandum eſſet omnino, ut poſt ſeculum, et quod excurrit, talis, qualis *Magiſtro Alcuino* anno M. DCC. LXXVII. obtigit, obtingeret etiam *Diſcipulo Frobenius*, quo caſu et recenſitus hic Codex ob lectionis varietatem, et plura alia *Hrabani* per decurſum memoranda ex Aug. Bibliotheca Caeſarea uſui eſſe poſſent.

CCLXXXII.

671 Codex membraneus lat. Sec. IX. et Autori fortaſſe coaevus, formae paene quadrae, Folior. 80. 4. probe ſcriptus et rubricis insignis *Rabani Mauri* e Monacho O. S. B. Archiepiſcopi *Mogunt.* a. 856. vivis exemti Opus *de Virtutibus et Vitiis* e ſacris Literis lectum continet, quod litera miniata quadrata inſcribitur: *Domino Piiſſimo Hludouuico Auguſto Honor Et Uictoria Et Salus Perpetua.* Συνταγμα iſtud, quod *Ge. Colvenerius* ad editionem *Operum* Noſtri *Colon.* 1627. f. nanciſci nequiit, ediderat tamen, qui tot Veterum monimenta a ſitu, tineisque vindicavit, *Wolfg. Lazius* jam *Antverp.* 1560. 8. cum *Fragmentis quibusdam Caroli Magni Imp. Rom.* ut ait, *Aliorumque incerti nominis de veteris Eccleſiæ ritibus ac ceremonijs*, ubi p. 190. orditur. Codice noſtro uſum fuiſſe *Lazium*, infra patebit, at negligenter excripſiſſe, vel ea probant, quae in ſola, quam contuli, *Praefatione* ad dictum *Ludovicum Pium* in Noſtro rectius leguntur. Juvat ea ſubjicere:

Editio.	Codex.
Pag. 192. *Domino Optimo Victoriam — pareat.*	Fol. 2. *Deo Omnipotenti. Pariat.*
193. *quæ decenti.*	*Dictanti.*
194. *occideretur Saul.*	3. *Occideret.*
195. *leuiori ſermone.*	4. *Leniori.*
homini ſubiacere	*Subjicere.*
196. *propter dominum*	5. *propter Deum.*

Editio.